

nam neque in nuntio neque in me ipso tibi boni quid sit scio.

*PAM.* egon qui ab Orco mortuom me reducem in lucem feceris

sinam sine munere a me abire? ah nimium me ignavom putas.

sed Bacchidem eccam video stare ante ostium :

855 mē exspectat credo : adibo. *BA.* salve, Pamphile.

15

*PAM.* o Bacchis, o mea Bacchi', servatrix mea !

*BA.* bene factum et volup est. *PAM.* factis ut credam facis ;

antiquamque adeo tuam venustatem obtines

ut voluptati obitu' sermo adventu' tuo', quoquomque adveneris,

860 semper siet. *BA.* at tū ecastor morem antiquom atque ingenium obtines 20

ut unus hominum homo te vivat numquam quisquam blandior.

*PAM.* hahahae, tun mihi istuc? *BA.* recte amasti, Pamphile, uxorem tuam ;

nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram :

perliberali' visast. *PAM.* dic verum. *BA.* ita me diament, Pamphile.

865 *PAM.* dic mi, harunc rerum numquid dixti iam patri? 25

*BA.* nil. *PAM.* neque opus est

adeo muttito. placet non fieri hoc itidem ut in comoediis omnia omnes ubi resciscunt. hic quos par fuerat resciscere